

lidarum partium nutritionem ab iisdem perfici, perspicere tamen nullo modo possumus, vnde haec obiectio suum robur adipiscatur, quippe cum facile remoueri eadem possit: esse enim discrimen arterias inter lymphaticasque venas, quarum alteri nutritio solum, alteri autem resorptio adscribenda est, vel parum in physiologia versatus non ignorat.

Progrediamur jam ad necessitatem resorptionis lymphae ex vesiculis, ceterisque generationis partibus demonstrandam. Atque hac in re, quo eo melius procedere queamus, respiciendum primum esse ad eum hominum statum, arbitramur, in quo testiculi ex sanguine virile semen nullum, sed lymphaticum humorem tantum fecernunt. Scilicet in puerili aetate, quum lymphaticae humorum partes, nutriendo corpori solum aptae, magna in copia eapropter deponantur, vt solidae partes incrementum capiant, eam esse voluit naturae Auctor humani corporis oeconomiam, vt ille sanguis, qui in prouectiori aetate feminis secretioni impenditur, crescenti corpori inferuiret: quapropter, ne remaneret in vesiculis ea pars, quae per spermaticas arterias cum sanguine testiculis illata, atque ab eodem sanguine separata fuerit, resorbentes, venulas easque copiosas iisdem dedit, quae nunquam non collectam ibidem lymphae copiam reuehant, et vniuerso humorum circulo denuo tradant. Accedit, quod in iuuenili aetate sanguis tam multis nutritioni solidarum partium aptis particulis refertus haud inueniatur, quibus in homine in prouectiorem aetatem delato, si modo sanus sit, vt plurimum abundat.

Ad necessitatem autem lymphae resorptionis in virili aetate quod attinet, eam nos melius depingere vix posse putamus, quam vt ad phaenomena, quae humano corpori ab eadem bene procedente contingunt, animaduertamus, vel damnorum ab eadem impedita ortorum habeamus rationem. Ac fructus quidem, quos lymphae regressus in corpore adulto producit, profecto varii sunt, namque virile semen necessariam crassitiem, et cum ea coniunctam prolificam vim adipisci vix poterit, nisi aquosi humoris expers fiat: et quanquam nondum euictum sit,
 quanam